

ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS
Romanae Rotae Tribunal
SENTENTIA DEFINITIVA
**Nullitas matrimonii ob errorem circa qualitatem
redundantem in errorem personae**

(Omissis)

Facti Species

1. - Antonius, anno 1953 in oppido v. d. N. natus, catholicus, moderator in quadam societate vitae cautioni exercendae (cf. Summ., 8), commorans in pago nuncupato M., anno 1978 matrimonium canonicum iniit in ecclesia paroeciae v.d. M., Beatae Mariae Virgini sacra, cum Angela, anno 1953 orta, domicilium retinente in municipio v. d. N.

Ipsi, qui iam ab infantia sese cognoscebant, seu tempore scholae elementariae, consuetudine strictiore inter se uti inceperant anno 1976 (cf. Summ., 1) vel anno 1972 (cf. Summ. alt., 18/8), Antonio in studia universitaria ingrediente.

Cum Antonius optimam institutionem christianam recepisset et fidei praxim magno cum fervore coleret, Angela, quae in familia quoad religionem prorsus neglegente adoleverat, minime de officiis religiosis curam gerebat.

Perdurante relatione sponsalicia quaedam difficultates ortae erant ob discordem sensum vitae; quapropter relatio breve per tempus intermissa mansit.

Puella praegnans evenit et statim ac Antonius munus militis ad finem adduxit, ipsi nuptias celebraverunt.

Post quinque menses filia, ante nuptias concepta, ad lucem venit, cui nomen Claudia impositum est, ac deinde, post ulteriores 19 menses, altera filia, Sara vocata, enata est.

Contentionibus inter coniuges accensis, ipsi auxilium a perito in re matrimoniali quaesiverunt, ast, cum in viro suspicio de mulieris fidei iugalis prodictione exorta est, ille coram civili magistratu divortium expetivit, ac sententia divortium concedens prodiiit anno 1994.

2. - Dominus Antonius anno 1996 supplicem libellum coram X. obtulit, expostulans declarationem nullitatis sui matrimonium «in quanto la moglie fin dal principio escludeva la fedeltà coniugale e non è stata capace di creare una convivenza unita ed armoniosa» (Summ., 5).

Per Decretum Vicarii Iudicialis libellus admissus est et Collegium Iudicum institutum est.

Conventa, cum numquam respondisset notificationi a Tribunale missae, absens declarata est, ac obiectum litis hac sub forma a Praeside statutum est: «1. Esclusione della fedeltà e dell'indissolubilità del matrimonio da parte della convenuta (c. 1013 §2, c. 1086 §2 CIC 1917; c. 1099 e 1101 §2 CIC 1983). 2. Errore nelle qualità sostanziali della persona (c. 1083 §2 CIC 1917) che diventa errore di persona (c. 1097 §2 CIC 1983)» (Summ., 26-27).

Recolatur oportet quod Sententia postea aliis verbis obiectum definitum ostendit: «1. Exclusio unitatis et indissolubilitatis matrimonii per partem conventam (c. 1013 §2 et c. 1086 §2 CIC 1917). 2. Error

circa proprietates substantiales personae, redundans in errore personae (c. 1083 §2, 1° CIC 1917).

Actore atque tribus testibus auditis, anno 1997 sententia primi gradus affirmativa prodiit dumtaxat pro errore «actoris circa proprietates substantiales personae», in errorem personae redundante.

Ad normam c. 1682 causa ad Tribunal Appellationis transmissa est.

Vicarius Iudicialis Collegium Iudicum instituit per decretum, quod partibus notificatum est.

Voto Defensoris Vinculi praebito, causa per viam ordinariam tractandam statutum est decreto diei [...] 1998, subsignationem tantum Praesidis ac notarii patefaciens.

In actis nullatenus patet decretum concordationis dubii, sed tantum adest epistola Praesidis ad Vinculi Defensorem, qui deinde Praesidi responsum exhibet, de instructione suppletiva prorsus dissuadens.

Inde nec partibus nec testibus excussis, die [...] 1999 Iudices Tribunalis Appellationis negative ad omnia responderunt, decernendo quoad «Punctum primum postulationis – exclusio indissolubilitatis et unitatis in momento matrimonii contrahendi actu voluntatis positivo – nequaquam probatum est neque quisquam appellationem interposuit [...] et cunctis suffragiis declarat nullitatem matrimonii ob errorem circa qualitatem in errorem personae redundantem probatam non esse. [...] Propterea [...] non constare de nullitate matrimonii in casu».

Actore ad N. A. T. appellante, die [...] 1999 Tur-nus ab Exc. mo Decano institutus est.

Per Decretum Ponentis die [...] 2000 latum, dubium hac sub forma statutum est: «An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob errorem viri actoris circa qualitatem conventae redundantem in errorem personae».

Per litteras rogatorias denuo actor auditus est ac duo novi testes, scilicet Parochus viri actoris ac Presbyter qui olim dominum Antonium, perdurante suo munere in paroecia nuncupata M., cognoverat, excussi sunt.

Conventa epistolae a Tribunali missae nullam responsionem concessit.

Vadimonia reddita coram rogato Tribunali X. pro hoc iudicii gradu die [...] 2001 ad N. A. T. pervenerunt; die [...] 2002 Patronus ex officio partis actricis suum Restrictum in iure et in facto exhibuit et die [...] 2002 Animadversiones Defensoris Vinculi deputati praebitae sunt.

In iure

3. - Matrimonium duplici sub respectu inspicitur solet, scilicet in fieri et in facto esse. Si coniugium prout unio personalis et interpersonalis recipitur, quia nubens seipsum alteri nupturienti tradit et cum eodem consortium totius vitae instituit, certo certius matrimonii definitio ad unum fertur.

Divus Thomas essentiam matrimonii, et quidem matrimonii in facto esse, ad coniunctionem reducit: «Definitio [...] in littera posita tangit essentiam matrimonii, scilicet “coniunctionem”. Et addit determinatum subiectum, in hoc quod dicit “maritalis”: quia, cum matrimonium sit coniunctio in ordine ad aliquid unum, talis coniunctio in speciem traditur per illud ad quod ordinatur; et hoc est id quod ad maritum pertinet» (S. Th., Suppl., q. 44, a. 3, in corp.).

Agitur sane de unione quae totam nubentium personalem veritatem exigit atque involvit: «quia coniunctio viri ad mulierem per matrimonium est ma-

xima, cum sit et animarum et corporum. Et ideo coniugium nominatur» (S. TH., *Suppl.*, q. 44, a. 2, ad tertium).

Huiusmodi coniunctio quidem est obiectum consensus coniugalis, qui est essentia matrimonii in fieri: «[...] cum in matrimonio sit quaedam spiritualis coniunctio, inquantum matrimonium est sacramentum; et aliqua materialis, secundum quod est in officium naturae et civilis vitae: oportet quod mediante materiali fiat spiritualis virtute divina. Unde, cum coniunctiones materialium contractuum fiant per mutuum consensum, oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis coniunctio [...] sicut matrimonium est unum ex parte eius in quod fit coniunctio, quamvis sit multiplex ex parte coniunctorum; ita etiam consensus est unus ex parte eius in quod consentitur, scilicet praedictae coniunctionis, quamvis multiplex ex parte consentientium. Nec est directe consensus in virum, sed in coniunctionem ad virum, ex parte uxoris: et similiter, ex parte viri, consensus in coniunctionem ad uxorem» (S. TH., *Suppl.*, q. 45, a. 1, in corp. et ad tertium).

Consensus ergo actus personalis, seu integre humanus, haberi debet, et in oblationem interpersonalem vertitur: «Intima communitas vitae et amoris coniugalis, a Creatore condita suisque legibus instructa, foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur. Ita actu humano, quo coniuges sese mutuo tradunt atque accipiunt, institutum ordinatione divina firmum oritur» (GS 48).

Veritas personalis consensus coniugalis in nova lege canonica agnoscitur, quia per matrimoniale foedus «vir et mulier inter se totius vitae consortium constituunt» (c. 1055 §1), et «Consensus matrimonialis est actus voluntatis, quo vir et mulier

foedere irrevocabili sese mutuo tradunt et accipiunt» (c. 1057 §2).

Certo certius nupturientes uti obiectum materiale consensus immediate patent, et huiusmodi necessitudo ab ipso Concilio Oecumenico Vaticano II recipitur: «Obiectum essentiale consensus matrimonialis indicatur verbis [...] subsequentibus: “Ita actu humano, *quo coniuges sese mutuo tradunt atque accipiunt*”. Formula adhibita recte indicat, verbis traditione consecratis, indolem traditivo-acceptativam consensus matrimonialis atque eius *obiectum materiale*, iuxta terminologiam scolasticam, scilicet personas ipsas coniugum: hi enim “*sese mutuo tradunt atque accipiunt*” [...] In Concilio indicatur tantum obiectum materiale, seu id quod traditur et acceptatur – id est, personae ipsae coniugum –, omissa mentione obiecti formalis, seu rationis sub qua personae sese mutuo tradunt atque accipiunt, quae ratio, ut patet, praesupponitur» (U. NAVARRETE, *Structura iuridica matrimonii secundum Concilium Vaticanum II*, Romae 1968, 73-75).

Obiectum materiale consensus abesse nequit, cum ratio sub qua personae sese tradunt atque accipiunt logice atque ontologice subsequatur; persona enim prout coniugabilis intenditur, sed huiusmodi qualitas inesse potest tantum in persona, quae quidem qualitatem praecedat.

Foedus iugale ergo instituitur inter duas personas concretas et uterque nubens quoad alterum contrahentem errare nequit.

Natura pacticia, et quidem personalis, consensus matrimonialis nullatenus sinit ut fiat error “circa personam” (cf. c. 1083 §1 Codicis piani-benedictini) vel “in persona” (c. 1097 §1 Codicis vigentis) cum qua foedus firmatur vel contractus initur.

4. - «Quocirca si persona in solis substantiis est, atque in his rationalibus, substantiaque omnis natura est, nec in universalibus, sed in individuis constat, reperta personae est igitur definitio: Persona est naturae rationalis individua substantia» (BOETIUS, *Liber De persona et duabus naturis*, cap. III, in PL 64, 1343); huiusmodi definitio, quae a Philosophia perenni traditur, plane a Divo Thoma recipitur atque explanatur: «[...] quodam specialiori et perfectiori modo invenitur particulare et individuum in substantiis rationalibus, quae habent dominium sui actus, et non solum aguntur, sicut alia, sed per se agunt: actiones autem in singularibus sunt. Et ideo etiam inter ceteras substantias quoddam speciale nomen habent singularia rationalis naturae. Et hoc nomen est persona. Et ideo in praedicta definitione personae ponitur substantia individua, inquantum significat singulare in genere substantiae: additur autem rationalis naturae, inquantum singulare in rationalibus substantiis» (S. TH., I, q. 29, a. 1, in corp.).

Non est qui non videat Divum Thomam sistere in particulari vel in individuo, quia substantia rationalis naturae tantum in persona, scilicet in subiecto definito aut particulari, ad esse pervenit.

Personae peculiaritas, aut irripetibilitas, corporis ac spiritus qualitatibus, quae esse possunt naturae moralis, socialis, iuridicae, circumscribitur; attamen cum de persona sermo fit, semper agitur de quodam subiecto definito, praeunte quamlibet qualitatem, et quod cognosci potest prout unum ab aliis prorsus distinctum, et in nova Lege canonica «[...] intelligitur subiectum attributionis iurium et officiorum, in sua identitate individuali, praescindendo prorsus a qualitatibus quibus ipsum datur vel quibus caret [...] In his omnibus locis nomine “personae” venit

subiectum ultimum attributionis iurium et officiorum, in sua individuitate et identitate, praescindendo prorsus a qualitatibus vel defectibus eidem inhaerentibus idemve afficientibus [...] Iam vero non videtur posse esse dubium quin in his omnibus locis substantivum "persona" adhibeatur uno eodemque sensu, scilicet pro subiecto iurium et officiorum, in sua individualitate et identitate sumpto, abstractione facta ab omnibus ulterioribus qualitatibus quibus singulum subiectum afficitur in sua existentia reali [...] Promulgato autem Codice, sustineri non potest, nisi argumentis peremptoriis probetur, conceptum personae in c. 1097 §1 habere sensum diversum ab illo quem habet in omnibus aliis locis Codicis» (U. NAVARRETE, «Error circa personam et error circa qualitates communes seu non identificantes personam (c. 1097)», *Periodica* 82 [1993] 662-664; cf. etiam U. NAVARRETE, «Error in persona (c. 1097 §1)», *Periodica* 87 [1998] 367).

Definitio iuridica personae, quae «[...] utpote subiectum iurium, et obligationum, non identificatur tantum criterio physico, sed etiam ex aliis elementis seu qualitatibus» (Reg. Flaminii seu Foroliven.-Brittorien., coram DEFILIPPI, decisio diei 6 martii 1998, n. 9, *Monitor Ecclesiasticus* 125 [2000] 486), minime notionem traditionalem subvertere videtur, cum semper habeatur subiectum definitum atque agnoscibile.

5. - Error in intellectu oritur et in eodem sistit ac manere potest: «[...] error ponit iudicium rationis perversum de aliquo» (S. TH., *Suppl.*, q. 51, a. 1, ad primum); ast voluntas hominis, cum agit, ex luce a facultate intellectus fluente procedit.

Error proinde pervertere vel immutare obiectum voluntatis nonnumquam valet: «Etiam si in utroque

contrahente adsit debita mentis discretio, consensus matrimonialis deficere ulterius potest ex parte intellectus ob errorem» (P. card. GASPARRI, *Tractatus canonicus de Matrimonio*, ed. nova ad mentem Codicis I. C., apud Civitatem Vaticanam 1932, v. 2, n. 788, p. 17); «Nomine erroris venit falsa rei apprehensio. Addit ergo ignorantiae fallax iudicium de obiecto, in quod voluntas fertur» (F. M. CAPPELLO, *Tractatus Canonico-Moralis de Sacramentis*, v. III, De Matrimonio, ed. tertia, Taurini-Romae 1933, 657, n. 584).

Norma generalis in primo libri tum veteris tum novi Codicis Iuris Canonici statuta, erroris vim irriterantem agnoscit solummodo in tribus speciebus, scilicet si error «[...] versetur circa id quod constituit substantiam actus» (c. 104 Codicis piani-benedictini; cf. eadem verba in c. 126 Codicis vigentis), vel si «[...] recadat in conditionem sine qua non» (*ibid.*), vel si «[...] iure caveatur» (*ibid.*).

Quod attinet ad ius matrimoniale error substantiam actus prorsus corrumpit in errore circa personam, quia foedus iugale inter duas concretas ac definitas personas perficitur; obiectum enim consensus ab intra coartatur ita ut voluntas recipiat essentiam a mente omnino mutatam.

6. - Error circa personam in identitatem personae vertit, quae quidem criterio physico praeprimis animadvertitur ac cognoscitur; persona enim, ut solet, per suam imaginem physicam ad alios pervenit et ab ipsis recipitur, et hoc quidem sufficit ne erratur circum alteram partem in contractu efficiendo.

Recto cum sensu realitatis communicationum interpersonalium in hominum societate admittitur quod «Se ogni qualità dello spirito non meno che del corpo può far nascere il colloquio matrimoniale, e innegabi-

le però che spesso siano le seconde più che le prime a muovere un siffatto discorso [...] Da questa innegabile constatazione è nata l'attenzione tutta particolare che la canonistica e la giurisprudenza ecclesiali hanno sempre correttamente posto all'identità fisica della persona» (P.A. BONNET, *Introduzione al consenso matrimoniale canonico*, Milano 1985, 69).

Attamen persona etiam per qualitatem moralem ab aliis secerni potest, si de qualitate propria, quae solummodo illi personae inest, agatur; patet proinde quod illa qualitas est determinativa personae.

Divus Thomas introduxit, ad huiusmodi factispeciem definiendam, conceptum erroris qualitatis qui in errorem personae redundat: «[...] si error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem personae, tunc impedit matrimonium» (S. TH., *Suppl.*, q. 51, a. 2, ad quintum).

Cum illa locutio haud clara, et quidem sermonis latini causa (cf. U. NAVARRETE, «Error in persona», *Periodica* 87 [1998] 375), plures et dissimiles interpretationes exortae sunt (*ibid.*, 376-383).

Codex pianus-benedictinus recepit ad litteram doctrinam Divi Thomae: «Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum: 1° Si error qualitatis redundet in errorem personae» (c. 1083 §2), et tradidit difficultates iam antea exortas, uti Em. us Gasparri animadvertit: «Quaestio maximi momenti et difficillima, quam DD. dum student extricare, implicant magis» (P. card. GASPARRI, *Tractatus canonicus de Matrimonio*, apud Civitatem Vaticanam 1932, v. 2, 19, n. 793).

Iurisprudencia N. A. F. quaestionem tam difficilem solvit se vertens ad sic dictam tertiam regulam Sancti Alphonsi de Ligorio, uti iam in una coram HEARD diei 21 iunii 1941 evenerat (cf. R.R.Dec.,

vol. XXXIII, 530, n. 2), ac respuit fere unanimis interpretationem sententiae coram CANALS diei 21 aprilis 1970 (cf. *ibid.*, vol. LXII, 371-372, n. 2), quid novi introducentis «[...] che si distaccava dalla dottrina e giurisprudenza comune nell'interpretazione del c. 1083 §2, 1°/CIC 17» (U. NAVARRETE, «Error in persona», *Periodica* 87 [1998] 384; cf. etiam ID., «Error circa personam», *Periodica* 82 [1993] 657).

Doctrina semper tradita de errore qualitatis qui in errorem personae redundat, in una coram Ferraro, duobus tantum annis elapsis a sententia coram Canals lata, summa cum claritate patet: «[...] a recto forte non multum distat qui teneat pro qualitate redundante id unum essentialiter requiri, ut scil. eadem, quaevis fuerit eius natura: physica, moralis, socialis etc., sit determinativa personae» (coram FERRARO, dec. diei 18 iulii 1972, n. 25, in R.R.Dec., vol. LXIV, 473).

Qualitas, cuiuslibet naturae sit, determinativa habetur si ipsa sufficit ac valet ut ad identitatem alterius partis nubens pervenire possit: «L'errore della qualità che "redundat in errorem personae", per il quale il matrimonio è invalido, è l'errore su qualità *identificante* della persona. Esso si verifica, cioè, quando una determinata *qualità* viene assunta come il *segno distintivo* di una persona, alla cui identificazione si intende giungere attraverso quella tale qualità: onde l'errore circa la qualità della persona (e cioè che si tratti appunto della persona che si voleva identificare attraverso quella qualità) si risolve effettivamente in un errore di persona» (V. DEL GIUDICE, *Nozioni di Diritto Canonico*, ed. 10, Milano 1953, 192-193).

7. - Cum autem de qualitate communi agitur, seu nullatenus alicui personae solummodo propria, evenire potest quod nupturiens quandam qualitatem ve-

lit prout condicionem sine qua non; si de huiusmodi qualitate nubens in errorem incidit, consensus coniugalis corrui: «[...] error circa qualitatem accidentalem matrimonium dirimit [...] quando scilicet qualitas [...] posita fuit tamquam conditio sine qua non matrimonii contracti, in quo casu impedimentum iuris naturae constituit, non quidem ex errore, sed ex defectu consensus, quo matrimonium perficitur» (coram PRIOR, decisio diei 20 maii 1912, n. 3, in R.R.Dec., vol. IV, dec. XX, 237); et, novo Codice iam promulgato, eadem doctrina sic proditur: «Nihilosecius eundem effectum [erroris circa id quod constituit substantiam actus iuridici] obtinet etiam error circa aliquod elementum obiective accidentale actus, dummodo subiective euectum sit ad elementum substantiale [...] Hoc autem fieri potest non vi ipsius facultatis intellectivae (etsi nupturiens erronee putet aliquod elementum obiective accidentale sit substantiale), sed vi facultatis volitivae quando nempe subiectum requirit uti essenziale aliquod elementum obiective accidentale. Heic [...] agitur [...] de intentione tam intensa includenti in obiectum consensus aliquod elementum accidentale ut eadem intentionalitas seu voluntas vim habeat et efficaciam conditionis sine qua non» (coram ERLEBACH, decisio diei 27 ianuarii 2000, n. 6, *Periodica* 90 [2001] 504-505).

Recte animadvertitur quod huiusmodi nullitas potius quam «[...] inter errores actum iuridicum invalidantes [...] collocanda videatur inter nullitates quae a voluntate condicionante pendent» (U. NAVARRETE, «Error circa personam», *Periodica* 82 [1993] 652; cf. etiam p. 667).

Processus electionis tandem duci potest in qualitatem prae persona volitam, si qualitas directe et principaliter intendatur, uti S. Alphonsus de Ligorio

facti speciem summo cum acumine definiverat: «Quod si consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, tunc error in qualitate redundat in substantiam. Secus, si consensus principaliter feratur in personam, et secundario in qualitatem: V. gr., si quis dixerit: *Volo ducere Titiam, quam puto esse nobilem*: tunc error non redundat in substantiam, et ideo non invalidat matrimonium. Secus, si dixerit: *Volo ducere nobilem, qualem puto esse Titiam*: tunc enim error redundat in substantiam; quia directe et principaliter intenditur qualitas, et minus principaliter persona» (S. ALPHONSUS DE LIGORIO, *Theologia Moralis*, tract. VI, lib. VI, cap. III, dubium II, n. 1016, ed. L. Gaudé, Romae 1979, tom. IV, 179); hoc in casu «[...] la voluntad del contrayente ha substantivado una cualidad y, de este modo, lo ha convertido en elemento más directo y principal que la identidad personal (que no desconoce) en la configuración del objeto mismo de su consentimiento. Nótese bien: el error en cualidad directa y principal es un error substancial de hecho. Esta es la verdadera razón de su efecto dirimente» (P.-J. VILADRICH, *El consentimiento matrimonial*, Pamplona 1998, 140); «[...] defectus qualitatis in altero contrahente in quam dirigitur directe et principaliter voluntas subiecti, secumfert nullitatem consensus ratione defectus obiecti subiective principalis consensus, quod a fortiori eundem effectum sortitur ac defectus elementi subiective essentialis in obiecto materiali consensus, de quo in secunda parte c. 126» (coram ERLEBACH, decisio diei 27 ianuarii 2000, n. 8, *Periodica* 90 [2001] 509).

8. - Novus canon 1097 §2 omnino vertit in intentionem subiecti, quin pondus obiectivum qualitatis

spectetur (cf. P.A. BONNET, *Introduzione al consenso matrimoniale canonico*, Milano 1985, 75, 77, 78).

Pro nubente qualitas ad substantiam obiecti consensus fertur: «[...] el fundamento irritante del error en cualidad directa y principal es la voluntad del sujeto de substantivar un accidente (la cualidad)» (P.-J. VILADRICH, *El consentimiento matrimonial*, Pamplona 1998, 142); «[...] haec qualitas, etsi natura sua non pertineat ad substantiam actus, nempe foederis coniugalis, tamen ex voluntate praevalenti contra-hentis ingreditur in obiectum consensus, ita ut consensus reapse pendeat ab existentia vel minus illius qualitatis» (U. NAVARRETE, «Error circa personam», *Periodica* 82 [1993] 667); et proinde «[...] carece de sentido exigir la gravedad, importancia o trascendencia objetivas de tal cualidad» (P.-J. VILADRICH, *El consentimiento matrimonial*, Pamplona 1998, 142).

Attamen natura ipsa qualitatis designat aliquid subiecto inhaerens et quadam firmitate ornatum, ut revera qualitas hoc nomine gaudere possit; si agitur enim de qualibet circumstantia externa, quae prout transiens manet, uti e. g. esse potest labor, vel ad futurum pertinens, prout e.g. studia impletura, aliud caput nullitatis attingere potest, scilicet condicionem.

Cum natura pacticia consensus coniugalis postulet definitum momentum in quo actus voluntatis consensualis revera ponitur («[...] matrimonium existit eo ipso temporis momento, quo coniuges matrimonialem consensum praestant iuridice validum. Talis consensus est actus voluntatis indolis pacticiae». PAULUS VI, «Allocutio ad Romanae Rotae Auditores die 9 februarii 1976 habita», AAS 68 [1976] 206), qualitas intenta in illo spatio temporis adesse debet, etiamsi postea, uti e.g. valetudo, praxis christiana, corruat.

Quod ad fidem christianam pertinet, animadverti debet quod agitur de re prorsus interna, quae «varios habere potest gradus» (IOANNES PAULUS II, «Adhortatio apost. diei 21 novembris 1981 *Familiaris consortio*», AAS 74 [1982] 163, n. 68) cuiusque evolutio ignota manet, quia libera hominis voluntas suam priorem electionem mutare potest; quam ob rem si fides christiana prout qualitas directe ac principaliter intendatur, ipsa solummodo per signa, ad extra patefacta quoad fidei virtutem tempore elicit consensu, probari valet.

Summus Legum Ecclesiae Interpres censet quod, cum de qualitate directe ac principaliter intenta casus fit, minime futili qualitas sufficit (cf. IOANNES PAULUS II, «Allocutio ad Romanae Rotae Auditores die 29 ianuarii 1993 habita», AAS 85 [1993] 1260, n. 7); et quidem agi debet de qualitate saltem subiective gravi, cum ipsam nubens velit prae persona alterius coniugis, quae in electione nuptiarum summum pondus servare debet ac solet.

9. - Legislator in novo canone 1097 §2 suscepit ipsa verba tertiae regulae Alphonsianae, sed non videtur quod tantum ad istam facti speciem error qualitatis adstringi possit; nam agnoscitur novam legem nullatenus prout interpretationem veteris canonis 1083 §2, 1° habendam esse: «Id sane insuper assertere debemus, nempe novum canonem non constituere veluti interpretationem veteris legis, sed ex integro tantummodo statuuisse de errore qualitatis irritantis consensum matrimonialem: quamvis, de facto, formula a Legislatore adhibita verbis ipsius utatur quibus una ex interpretationibus canonis abrogati exprimebatur» (coram POMPEDDA, decisio diei 22 iulii 1985, n. 11, in R.R.Dec., vol. LXXVII, 399).

Nupturiens enim, qui cognoscere valet alterum contrahentem nisi per quandam, tantummodo ei propriam, qualitatem, si de ista qualitate errat, quidem invalide contrahit ex ipso iure naturae, cum persona in casu reapse alia sit: «[...] ut hic verificetur oportet quod de qualitate agatur quae sit determinativa personae, quae nempe personam discriminet et in individuo designet adeo ut, deficiente qualitate, persona non sit amplius eadem» (coram Exc.mo GRAZIOLI, decisio diei 11 iulii 1938, n. 17, *ibid.*, vol. XXX, 414); «[...] iste error qualitatis redundans in errorem personae revera non distinguitur ab errore de quo in paragrapho prima [canonis 1083 C.I.C. 1917], nam tunc tantum habetur quando versatur circa qualitatem quae uni personae propria est ac quae praecise intenditur. Respicit ergo ipsam personam physicam quae cognoscitur sub tali eaque tantum qualitate vel denominatione» (coram HEARD, decisio diei 7 augusti 1948, n. 2, *ibid.*, vol. XL, 343).

10. - Error in qualitatem qui in errorem personae recidit quidem in intellectu sistit; sed, voluntati obiectum praebet prorsus aliud ab illo quod contrahens eligere vult.

Et in huiusmodi facti specie probari debent et existentia qualitatis alterum nubentem identificantis et error in quem nupturiens inciderat.

Si qualitas prae persona intenditur, quidem praepriis intentio quoad illam qualitatem a contrahente gigni debet, et fulcrum probationis proinde sistit in existentia illius intentionis: «Manet certo solvenda, singulis in casibus, ardua quaestio an intenta sit in facto “qualitas qualificanda” in personam redundans: verumtamen in iure iam clarum est, quod agi debet de requisito quod consensum ingressum sit» (coram

AGUSTONI, decisio diei 10 iulii 1984, n. 13, in R.R.Dec., vol. LXXVI, 456).

Via directa probationis fertur a confessione iudiciali necnon extraiudiciali praesumpti errantis; ast summi momenti aestimandae sunt indirectae probationes, quod dialectice procedit per criterium aestimationis qualitatatis, quae ostenditur a praesumpti errantis institutione, indole, ambitu sociali, eius casibus vitae, necnon per criterium reactionis peractae ab errante statim ac defectum qualitatatis intentae detexerit; «[...] attenta relevantia intentionalitatis hoc in nullitatis capite magnae utilitatis est etiam comparatio inter causam contrahendi ex parte errantis et peculiariter volendi ex parte eiusdem contrahentis» (coram ERLEBACH, decisio diei 27 ianuarii 2000, n. 13, *Periodica* 90 [2001] 522).

In facto

11. - In hac instantia causa videnda est tantum de errore qualitatatis, cum capita exclusionis boni fidei et sacramenti ex parte mulieris duplici negativa decisione dimissa sint, quamquam ista capita quoddam fundamentum ostendere videntur.

12. - Vir actor optima testimonia credibilitatis recepit; qui olim eius Parochus fuit testatur: «Prope populum christianum Antonius aestimatione valde positiva gaudet. Agitur de viro fide digno» (Rev. P., Summ. alterum, 36).

De eius optima institutione christiana actoris amicus se certum habet: «È stato educato secondo la fede. Nelle questioni della fede Antonio aveva formato piuttosto me [...] egli si inseriva molto nei la-

vorì intorno alla chiesa. Anche negli anni del regime totalitario egli come direttore dell'istituto d'assicurazione lavorava intorno alla chiesa, anche se con ciò si tirava addosso dei fastidi» (L., Summ., 45-46/6-7).

Dominus Antonius, etiam perdurante tempore persecutorii imperii communistarum in sua natione, numquam, quamvis suo cum discrimine, praxim christianam deseruit.

Ipsè suam fidem christianam plane ostendebat, quin Ecclesiae Catholicae inimicis se flecteret: «Venivo seguito e contattato, ma non ho ceduto alle pressioni ed ho conservato la fede anche durante i tempi della oppressione totalitaria» (Summ., 2), et de viri virtute suum testimonium praebebat Rev. P., qui olim actoris Parochus fuerat (cf. Summ. alterum, 39): «[...] munere insigni in negotio suo fungebatur, attamen ecclesiam adibat, de qua re difficultates in negotio ei exsistebant» (Summ. alterum, 36/4); indicis quidem receptis, Rev. A., iudex ponens in prima instantia, refert: «[...] certo dici potest eum virum bonum, fidelem et sincere pium esse. Etiam tempore communismi semper praxim christianam servabat invitis difficultatibus, eo tempore ex hoc vitae modo sequentibus, praesertim in negotio. Propter bonam vitam inter concives magna auctoritate utebatur» (Summ. alterum, 39).

Suum opus paroeciae tum in quibusdam laboribus se gratis impendens tum in consilio pro rebus oeconomicis partem habens obtulit: «Durante il periodo degli studi, durante le vacanze, ed anche più tardi anche durante l'occupazione, io aiutavo nelle riparazioni e nel mantenimento della chiesa a M. ed a N. mi sono inserito nella vita parrocchiale» (Summ., 1); et sacerdotes huiusmodi declarationem ex integro firmannt: «Erat et adhuc est membrum

consilii paroeciae meae» (Rev. R., Summ. alterum, 25/4); «[...] benevolus est, in quolibet labore in paroecia adiuvere paratus. Cum duobus amicis suis circum facit, qui prompte in ecclesia adiuvat. Populus christianus in paroecia “Sanctam Trinitatem” eos appellat» (Rev. P., Summ. alterum, 36/4).

13. - Dominus Antonius, quippe qui etiam adversitates regiminis communistarum pro fide servanda ac patefacienda pati semper paratus erat, summi fidem christianam futurae consortis faciebat.

Eius optatum atque intentio, quippe quae pro omnibus christifidelibus esse debent, vertebantur in familiam christianam instituendam: «Volevo che noi formassimo una famiglia cristiana, affinché educassimo i figli cristianamente» (P.A., Summ., 35/27).

Actor contendit se in cacumine omnium, quae ab homine inquirenda sunt, religionem ponere: «In meo ordine rerum religio priorem locum tenet» (P.A., Summ. alterum, 18/6).

Et suam aestimationem pro futurae sponsae religiositate eiusdemque voluntate ac capacitate sobolem christiane educandi plane actor quidem ostendit: «Io le ho detto, lei acconsentiva, anzi, voleva avere i figli educati cristianamente così come sono stato educato io» (P.A., Summ., 33/27).

Magnum Antonii optatum ut concentus etiam in fide christiana fieret, patet etiam ex opere ab illo acto ad Angelae persuadendum pro praxi christiana resumenda: «Ea contra ecclesiam et religionem loquente omnia ei explicare studebam et eam persuadere se recte non dicere» (P.A., Summ. alterum, 17-18/5); et actoris amicus de huiusmodi actoris inceptis notitiam addit: «Antonio si sforzava molto, affinché Angela diventasse una donna credente» (L., Summ., 48/38).

Ex actis quidem argui potest quod dominus Antonius, quippe qui fidem ac praxim christianam quam maxime aestimabat, directe in futura uxore religiositatem adesse intendebat.

Attamen ipse actor in suo primo vadimonio claris verbis excludit se posuisse actum voluntatis pro illa mulieris qualitate, seu religiositate, exhigenda: «Non è stata una condizione così dura [...]. Io penso che alla fede uno possa arrivare anche più tardi. Io me la avrei sposata in ogni caso. Avrei sperato che durante la nostra vita comune lei si sarebbe avvicinata alla fede» (P.A., Summ., 33 ex off.).

Non est qui non videat huiusmodi a viro elata ne ullum quidem spatium concedunt pro directa qualitate intenta, et minus ac minus pro condicione sine qua non.

In altero vadimonio, reddito in nostro iudicii gradu coram Tribunale rogato, actor suam priorem depositionem corrigere conatus est, asseverando: «[...] iam ante nuptias statui solummodo mulierem religiosam in matrimonium ducere. In matrimonio eligendo certe volui mulierem, quae filios in fide christiana coleret. Si post nuptias detegissem meam uxorem nullatenus fide christiana imbutam esse, eam ad fidem adducere studuissem» (P.A., Summ. alterum, 19/10).

Ast vir plane iam ab infantia noscebat ambitum prorsus indifferentem erga religionem, in quo mulier adoleverat: «Ci conoscevamo fin da piccoli, come alunni della scuola elementare e poi della scuola media [...] È stata una famiglia non credente da entrambi i genitori. Penso che loro non abbiano lottato contro la fede, sono stati materialisti pratici che volevano godersi la vita» (P.A., Summ., 29/7; 31-32/24).

In primo vadimonio actoris quidem contradictio eminet; Antonius enim primum asserit: «Per me è

stato [...] essenziale e decisivo [...] che mia moglie fosse una credente e pensavo che Angela fosse credente poiché era stata battezzata» (P.A., Summ., 38/37), ac statim ipse refert: «Mia madre mi diceva che quella non era una donna credente, che non è stata educata nella fede, ma io non le ho dato retta» (*ibid.*).

Quaeritur proinde quomodo vir qui tam facile atque expedite acquievit et immo matris consilia, orta ob puellae defectum religiositatis, respuerat, intendere directe potuisset qualitatem religiositatis.

In altero vadimonio Antonius notitiam valde gravem addit: «Antequam matrimonium iniretur nec fidei sacramenta receperat nec Missam audire solebat. Semel dicebat mihi se consilio districtali factionis communisticae nuntiaturam esse me Missam audire solere» (P.A., Summ. alterum, 17/5); et prorsus mirum patefit, cum sponsus huiusmodi sponsam relinquere minime cogitavisset, quod ipse actor refert: «Dixi ei hoc forsitan normale non esse, ut consideraret hanc intentionem» (*ibid.*).

Testes, qui quidem actoris proximi erant, numquam illum audiverunt patefacientem suam intentionem qualitatem religiositatis in muliere reperiendi.

Amicus actoris enim asserit: «Non so di qualche pretesa ben definita [...]. Non so nulla di alcuna pretesa [...]. Io non so nulla di alcuna condizione» (L., Summ., 46/16; 46/19; 47/24).

Et Antonii mater addit: «Non so di alcune pretese [...] senza l'esecuzione delle quali il matrimonio non sarebbe stato contratto [...] Nemmeno uno degli sposi ha parlato di qualche richiesta [...] particolare [...] Se egli le abbia detto che altrimenti non se la sarebbe sposata, questo io non lo so [...] A me egli non ha detto, che non avrebbe sposato Angela se lei non

avesse adempito le richieste [...] riguardanti la fede» (S., Summ., 52/19; 52/20; 52/23; 53/23).

Religiositas, prout qualitas in altero coniuge postulata, tantum tempore consensus elicitu inquirenda est et tantum per actus externus, seu per praxim, quae quidem formalis vel hypocrita esse potest, patet.

In casu, mulier tempore connubii cultum christianum adire solebat, atque post nuptias in Missae celebratione die dominica partem habebat ac precibus christianis suas filias edocebat.

Ipsa actor enim refert mulierem ad ecclesiam rediisse: «Andavamo insieme anche in chiesa, mi sembrava, che le piacesse stare lì, che tutto lì fosse interessante per lei. Lei prima non era solita di andare in chiesa» (P.A., Summ., 32-33/26); et sponsa viro promiserat se fidem christianam servaturam esse ac signa fidei ostendebat: «Angela prima della celebrazione delle nozze prometteva che sarebbe vissuta cristianamente, che frequenterebbe le funzioni liturgiche, che si accosterebbe ai sacramenti [...]. Prima della celebrazione delle nozze lei veramente si comportava così» (P.A., Summ., 38-39/37); «[...] pollicebat se filios in fide christiana educaturam esse» (P.A., Summ. alterum, 19/10), et immo conventa prout mater christiana filias instituit: «Orationes christianas eas docuit» (P.A., Summ. alterum, 19/13).

Et testes fidem faciunt de praxi christiana ante nuptias a muliere servata: «Quando ha cominciato ad uscire con Antonio, frequentava la chiesa» (L., Summ., 46/12); «Lei ha cominciato ad interessarsi della fede quando ha cominciato ad uscire insieme a mio figlio [...] lei prometteva che sarebbe vissuta secondo la fede [...], che avrebbe educato cristianamente i figli» (S., Summ., 51/12; 53/24).

Vir ante nuptias animum tranquillum servabat quoad mulieris religiositatem et, eiusdem verbis receptis, patet quod nullatenus ipse quamlibet peculia-rem qualitatem in muliere quaesiverat: «Io penso che alla fede uno possa arrivare anche più tardi. Io me la avrei sposata in ogni caso. Avrei sperato che durante la nostra vita comune lei si sarebbe avvicinata alla fede» (P.A., Summ., 33/27).

Dominus Antonius quidem, sponsa praxim christianam agente atque promittente se semper eandem servaturam esse, nullo dubio turbabatur ita ut directe religiositatem in futura uxore postularet: «Angela prima della celebrazione delle nozze prometteva che sarebbe vissuta cristianamente, che frequenterebbe le funzioni liturgiche, che si accosterebbe ai sacramenti [...] Prima della celebrazione delle nozze lei veramente si comportava così» (P.A., Summ., 38-39/7).

Certo certius promissio quoad rem summe aestimatam ab altera parte, ostendit in casu quanti actor fecisset religionem christianam.

Amissio praxis christianae pro viro tam fervido magna frustratio fuit, sed mulier, cum nuptias accepit, qualitate a viro optata imbuta manebat, quamvis nescitur utrum ipsa se sentiret certam ac firmam in fide vel nullatenus verax fuisset.

Minime in errorem incidere poterat vir, quippe qui sponsae iter ad praxim christianam resumendam noscebat ac videbat.

Actor, qui bene noverat Angelam e familia erga religionem omnino indifferenti venire et nullam religiosam institutionem habuisse, si tantum momentum qualitati illi tribuisset, cum illa relationem nullatenus quaesivisset eo vel minus ad nuptias directam.

Error tantum quoad internum mulieris sensum esse potuisset, sed de huiusmodi statu solummodo

Deus ac mulier, quae in iudicio absens mansit, testes sunt.

Etiam in nostro iudicii gradu contradictiones actor vincere haud valuit; ex una parte de suo amore erga sponsam locutus est (cf. Summ. alterum, 18/9), de promissione a domina Angela effecta quoad futurae prolis institutionem christianam (cf. Summ. alterum, 19/10), de Angela filias preces christianas edocente ac saltem per unum vel duos annos in Ecclesiam adeunte (cf. Summ. alterum, 19/11) ac de eiusdem repente defectione a praxi christiana (cf. Summ. alterum, 19/14), ex altera ipse contendit se voluisse uxorem religiosam ac prolem in fide christiana instituentem (cf. Summ. alterum, 19/10).

Valde proinde dubitandum est actorem in errore versatum esse tempore nuptiarum circa qualitatem in conventa optatam, potissime circa eius religiositatem, cum haud probata habetur viri determinatio circa qualitatem optatam, nec probatur mulieris defectus religiositatis tempore elicitu consensu.

14. - Ex actis prorsus patet quod minime actor qualitatem prae muliere intenderat. Nam ipse amore erga puellam captus erat. Nuptiae iam electae erant, antequam mulier praegnans evenisset.

Actor nullatenus cohaerens videtur; nam ipse clavis verbis asserit se familiam christianam praeprimis instituere voluisse ac nihil aliud postulavisse: «Io non avevo alcune pretese, almeno non alcune straordinarie. Volevo che noi formassimo una famiglia cristiana, affinché educassimo i figli cristianamente [...]. Non è stata una condizione così dura [...] Io me la avrei sposata in ogni caso» (P.A., Summ., 33/27).

Sponsalia aequo animo ducta sunt, et ipse actor agnoscit: «[...] io volevo bene alla fidanzata» (P.A.,

Summ., 29/8); quamvis Antonius pravitates in mulieris mente ac modo sese gerendi animadverterat, nihilosecius eam nubere voluit, a nullo dubio quoad eius firmam personalitatem impeditus: «Angela temeraria est, utilitatis suae cupida, de se ipsa alte cogitabat, vita pro se ipsa uti volebat. Liberius vivere volebat, non diligenter. Attamen matrimonium contraxi» (P.A., Summ. alterum, 18/7); «[...] de sana ac firma personalitate Angelae nulla dubia habui» (P.A., Summ. alterum, 17/4).

Sententia divortii refert: «Alcuni problemi esistevano tra le parti già nel periodo di tempo quando loro uscivano insieme, infatti si erano anche separati, per poi ritornare l'uno all'altro [...] di loro due si diceva che costituivano una coppia ideale» (Summ., 13; 16); in eadem sententia prodiiit quod sponsi, iam antequam Angela praegnans fieret, nuptias celebrare statuerant: «La gravidanza della opponente ha avuto luogo soltanto dopo che avevano già deciso il termine della celebrazione delle nozze» (Summ., 16).

Actoris mater testatur sponso mutuo amore capto fuisse: «[...] loro si volevano bene [...] Egli le voleva bene» (Summ., 51/16; 53/23), et idem asserit testis G., quae olim utriusque partis condiscipula fuerat: «Mi ha provocato una grande impressione il fatto, che loro si volevano bene [...] loro due erano così innamorati l'uno dell'altra che si promettevano tutto [...]. Io sono convinta che si sposavano con amore» (Summ., 60/16; 60/23; 60/24).

Post nuptias vir conamina perfecit ad connubium servandum; quapropter criterium reactionis nullatenus haberi potest, in casu, ita ut probaretur quod vir directe ac principaliter mulieris religiositatem intenderat.

Sententia divortii plura ad rem refert: «Il proponente pensava che il matrimonio è stato all'inizio

bello e soddisfacente, voleva bene alla moglie. Poco dopo la celebrazione delle nozze egli ha cominciato a costruire una casa familiare, ma questo è successo già nel corso dell'anno 1979 e la costruzione è durata tre anni. Allora comparvero già alcuni sintomi di problemi, le parti hanno visitato il consultorio coniugale a Y. e nel consultorio legale a N., si trattava di questioni finanziarie [...]. Dopo il trasloco nella nuova casa familiare il proponente pensava che tutto sarebbe andato bene [...] Dopo la visita fatta al Consultorio coniugale la situazione è migliorata, seguirono poi delle ondate del meglio e subito dopo del peggio. Nel consultorio avevano consigliato alle parti un certo modo di comportamento, questo è stato ancora nel consultorio di Y., perché nel consultorio coniugale di N. le parti non sono più andate» (Summ., 10, 13).

Vir actor candide refert: «[...] mi pare [...] che la celebrazione delle nozze le sia parso un termine [...] dopo il quale lei ha smesso di andare in chiesa. Quando poi sono arrivate le figlie, non le importava [...] della loro educazione religiosa. Lei mi perfino minacciava, dicendo che sarebbe andata a denunciarmi perche io ero credente» (Summ., 39/37); «Aliquot tempus post nuptias ecclesiam adibat, circa post unum vel duos annos desiit» (P.A., Summ. alterum, 19/13), ast consuetudo coniugalis nullatenus statim ab actore rapta est ob mulieris a praxi christiana defectionem, et immo usque ad annum 1993 ferias una egerant (cf. Summ., 14) et usque ad anno 1994 cohabitaverunt, cum vir illo mense instantiam pro divorzio porrexerat (cf. Summ., 5).

Ruina matrimonii ex pluribus fontibus initium sumpsit.

Difficultates enim quoad vitam communem quiete ducendam ortae sunt ex indolis ac mentis inaequalitate.

Actor ipse multiplicitatem causarum partium dissimilitudinis agnoscit: «Discordes opiniones nobis erant quoad perceptionem christianam matrimonii, fidem iugalem et vinculi perpetuitatem. Etiam quoad res materiales. Illa multam pecuniam habere, com meatus causa itinera facere, vita uti volebat» (P.A., Summ. alterum, 20/18).

Et sententia divortii, nixa declarationibus partium tempore haud suspecto redditis, quia nondum causa coram foro Ecclesiae introducta erat, varietatem causarum quoad difficultates partium in vita communi peragenda refert: «La parte opponente ha opinione diversa sulla vita; è sovrana e conscia della propria dignità, ha il modo proprio come affrontare la vita e cerca energicamente a farlo valere [...] La vita affettiva si svolgeva così che la opponente diventasse infedele, il proponente ne veniva a sapere in diversi modi anonimamente [...]. Il proponente viene ripetutamente attaccato a causa della asserita sottrazione del denaro [...]. Il rapporto con le figlie è così che le figlie si sentano portate più alla madre, secondo il proponente [...] perché la opponente le figlie “se le compra” [...] La parte opponente rimproverava e rimprovera al proponente di essere un uomo stupido, di essere un alcolizzato, di non dedicarsi alle figlie [...] i caratteri dell'indole delle parti non sono stati idonei ad accordarsi l'uno con l'altro [...] non sono stati capaci di conoscere la disarmonia delle loro indoli di carattere e delle opinioni, e che in tempo successivo proprio su questo il matrimonio loro è completamente naufragato [...] Ciascuna delle parti [...] ha avuto sulla vita le idee divergenti e queste idee non si conciliavano con le idee dell'altra parte, la quale cosa portava a diversi sospetti, ai conflitti e per conseguenza alla perdita

d'interesse dell'una parte per l'altra» (Summ., 10; 11; 12; 13; 20; 21).

Minime proinde ex ratione agendi actoris patefit quod ipse convictui iugali valedixerat ob mulieris reiectionem praxis christianae atque filiarum institutionis iuxta fidem catholicam.

Recte proinde Cl.ma Vinculi Tutrix ad casum deputata animadvertit: «Iam post nuptias [...] vir intellexit mulierem [...] contra religionem esse, sed nihil fecit, vitam matrimonialem perduxit et alteram filiam habuit» (Animadversiones, 14/19).

15. - Quibus omnibus tum in iure tum in facto perpensis, Nos infrascripti Patres Auditores de Turino, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, declaramus, decernimus, et definitive sententiamus, ad propositum dubium respondentes:

NEGATIVE,

SEU NON CONSTARE DE NULLITATE MATRIMONII,
IN CASU, OB ERROREM VIRI ACTORIS
CIRCA QUALITATEM CONVENTAE
REDUNDANTEM IN ERROREM PERSONAE.

Ita pronuntiamus, mandantes locorum Ordinariis et Tribunalium Administris, ut hanc Nostram definitivam sententiam notificent omnibus quorum intersit, et executioni tradant ad omnes iuris effectus.

Romae, in sede Romanae Rotae Tribunalis, 2002.

JORDANUS CABERLETTI, Ponens
ANGELUS BRUNO BOTTONE
GREGORIUS ERLEBACH